

3347

C O D I C E S

3348

vita. Filius quoque qui patri regno successit — post patris exequias et religiosissima funera occupatus plurimum in nouo regimine — distulit hactenus suos oratores mittere &c. Non inuenio in editis Concilii Aëtis.

XXVII. fol. 308. p. 2. Oratio *Anonymi* proluxa, habita, ut videtur, anno 1437. circa tempus *Sessiois* XXV. Synodi *Basileensis*, dum de loco futuri pro *Graecis* Concilii deliberaretur. Initium: *Magne sepe res atque ardue patres Reuerendissimi in hoc sacro Concilio versate tractateque sunt &c. Papiam* suadet Orator *Venetis, Florentiae*, aut quibusvis aliis Urbibus praefereendam, de qua inter alia: *Est profecto illa urbs splendidis commodissimis ornata domibus. — Hic moderni genitor ducis (Philippi Mariae) cohabitauit princeps omnium sua etate consultissimus, hic curiam continuo tenuit, quam magni domini, omnisque fere nobilitas ytalie sequebatur, ob quam rem multa ingentia palacia et amplissime sunt edes edificate curiales. — Illic palacium est, quod castellum appellant, ingenti fossa circumdatum, de cuius amplitudine illud retulisse sufficiat, quod augustalis pontificalisque aule capax existimetur. — Vno preterea cunctisque edulibus adiacens patria maxime habundat. — Quidquid abest, Ticini flumen aduectare potest. Sed quid hic immoror. Insubres, ut scitis, populi nunquam externo tritico victitarunt, sed suum ipsi ceteris prouincijs subministrarunt, quo fit, ut summam*

semper in papia victualium copiam sitis habituri, nec aliquis uobis italus pro minori precio victum dabit. — Quod tribus denarijs alibi emittis, duorum hic denariorum precium habebit &c. Digna sane tota lectu est Oratio, nec, quod sciam, edita, id, quod et de sequenti, quae Codicem terminat, Epistola censeo.

XXVIII. fol. 321. p. 2. *Sacro sanctae generali synodo basilien. in spiritu sancto legitime congregatae uniuersalem ecclesiam representanti Eduardus dei gratia regnorum portugalie et Algarbij Rex cepteque dominus &c. Grande desiderium uehemensque cogitatio boni totius christianitatis, praesertim pacis atque concordie &c. Petit, ut Synodus omni ope studeat bello inter Anglos, Gallosque finem facere. Datum In villa de turribus veteribus (Torvedra) X. die mensis septembris anno a natiuitate domini M^o. CCCC^o. XXXIII.*

Non exigui momenti sunt haec *Actorum Conciliarium Basileensium* Δερψαα, cum ad emendationem eorum, quae jam typis publicata sunt, tum ob complura ἀνεξόρα, quae an suis in Collectionibus *Hermannus von der Hardt* et *Steph. Baluzius* censuerint, dicere non habeo.

DCCCCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. ²⁹¹ XV. Foll. 295. f. a diversis conscriptus, sed foliorum numeris jam primitus insignitus sequentia complectitur. I. *Vtrum liceat eccle-*

3349

SYNODICI

3350

clese habere temporalia. Questio in sacro Concilio Basilien. disputata. Ad quam respondit magister P. J. de palomar (Polemar) Auditor causarum sedis Apostolice. Praemissis titulis incipit: Norunt experientie Vestre nec ambigo quam difficile sit in disputationis agitare certamine &c. Bis contra quartum Bobemorum Articulum de Possessionibus Cleri temporalibus orasse Polemarium Basleae diximus ad Codd. praeced. et extant Orationes illae locis ibid. citt. Sed diversa ab illis praefens est Disputatio, quam dedit quidem Mansius Supplem. T. IV. col. 663. titulo Pulchrae Positionis, sed in Cod. nostro: Secuntur Oppositiones collectae ex hijs que per Reverendissimum Dominum Legatum (Cardinalem S. Angeli Julian. Caesarium) apostolicum egregie et per alios dominos prelatos et magistros dicta fuerunt, et solutiones earundem, quae pene tot folia occupant, quot ipsa Positio, hoc initio: Ne sinistre occupemus tempus in glossis uel dictis doctorum, que ab hereticis non suscipiuntur &c. et fine: quales ipsi non habent unum pro centum. Atque causam omnem multum illustrant.

II. fol. 26. *Tractatus contra errores Wiclefistarum.* Non inuenio illum in Conciliorum Editionibus. Inscriptus est: *Vniuersis christifidelibus Regibus Ducibus principibus marchionibus Comitibus Baronibus Nobilibus Ciuitatibus*

*Mors est ventura prece nec precio fugitura
Mors nescit iuueni parcere seni. &c.*

Nec non alijs catholicis quibuscunque Deum timentibus et diligentibus, et incipit: Sacrosanctae fidei catholice Defensores ac honoris Ihesu christi Domini nostri Zelatores ardentissimi Curandum summo opere et tota vigilantia considerandum est &c. Causa scribendi capta dicitur a quodam Libello scandaloso totique mundo iniurioso et erroneo transmissio principibus quibusdam et communitatibus ex parte perdicionis filiorum Procopij smabors Corande Sanie Smalik Capitaneorum Bobemorum et aliorum complicum Hereticorum &c. quorum Adserta recensentur et perstringuntur acerrime. Ultima sunt: Per Ihesum christum Dominum nostrum gloria magnificentia Imperium et potestas ante omne seculum et nunc et in omnia secula Amen. Et adiectum: Hec scripta sunt ut credatis et ut credentes vitam eternam habeatis Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo.

III. fol. 35. *Libellus de Arte moriendi.* Initium: *Cum de presentis exilij miseria &c. ut Codd. pluribus, quos Index refert. Textus hic inseruit celebri illi rudimento xylographico Artis imprimendi inscripto Ars moriendi seu de Tentationibus Morientium, de quo curate egit III. Heinekenius in Idée complete d'une Collee. d'Estamp.*

IV. fol. 49. p. 2. Versus XXI. de Morte hoc initio:

V.

3351

C O D I C E S

3352

V. fol. 50. Libellus de Contemtu mundi, qui incipit: *In prescripto Libello tractatum est de arte bene moriendi nunc tractandum est per pauca de arte bene viuendi. Augustinus dicit Nemo bene moritur &c.* Itaque hi duo Libelli eundem Autorem agnoscere videntur, qui fortassis est: *Jacobus Junterbuck Carthusianus*; inuenio enim in *Joach. Felleri Cat. Codd. Bibl. Paulinae Lips.* ejus *Tractatum de Arte bene vivendi sive curandi vitia et de arte bene moriendi*, quin ex Opusculo sequente confirmor.

VI. fol. 61. Apologia Carthusianorum inscripta: *Multiplicati sunt qui oderunt me gratis*, et incipiens: *Sunt multi qui detrahunt carthusiensibus et Dicunt Ipsi non predicant. non laborant. circa ciuitates uel in ciuitatibus sua claustra edificant et vsuras recipiunt &c.* Haec porro diluere conatur *Noster* ab *Usuris* auspicatus, ubi multa de emtione Villae, quam *Lyel* adpellat, quae an ad *Domum S. Salvatoris Erfordensem*, quam ille *Jacobus* incoluerat, pertineat, nescio. Certe scriptio cum ejus aevo congruit; cum enim versus finem legas: *ordo noster iam stetit in sancta obseruancia trecentis XL. IX annis*, ejusque exordia *Scriptores* anno 1084. adfigant, conficitur, Libellum a. 1433. elaboratum fuisse. Ceterum continet is plura ad Ordinis noticiam opportuna.

VII. fol. 65. *Alredus de Amore*. Initium: *O admirabilis creatura solo creatore inferior quo te deicis &c.* Finis: *Verbum autem do-*

mini manet in eternum. Abbas *Rievallensis* (*Revesby*) O. Cist. in *Anglia* Sec. XII. fuit *Ealredus*, de quo adi, si lubet, *Fabricii Bibl. med. Lat. v. Adilredus*, aut *Tanneri Bibl. Brit. Hibern. v. Ealredus*. Opera ejus ascetica *Duaci* a *Rich. Gibbon* S. J. 1631. edita in *Bibl. PP. Lugdun. T. XXIII.* cooptata sunt, ubi p. 76. occurrit ejus *Speculum Charitatis*, cujus *Caput V. VI.* et initium VII. locus hic *Cod. nostri* constituit.

VIII. fol. 66. Absque inscriptione *Bonauenturae* Opusculum de *Reduotione Artium ad Theologiam*. Initium: *Omne donum optimum &c.* Legitur *Opp. T. VI. Lugd. 1668. p. 1. f.*

IX. fol. 71. rursus *ἀνεπιγχαφως* Ejusdem Opusculum dictum *Incidium Amoris*. Extat *T. VII. Opp. cit. p. 185.* sed in *Cod.* deest *Prologus*, et initium ducitur a *C. I. Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c.* Multum praeterea variat ab editis et deficit in iis *C. II.* verbis: *que est utriusque principium.*

X. fol. 76. Incipit prologus itinerarij mentis in deum compilati a *ffratre Bonauentura*. Initium: *In principio primum principium a quo cuncte illuminationes procedunt &c.* Extat *Opp. Tom. cit. p. 125.*

XI. fol. 93. Disquisitio Scholastica, quae incipit: *Vtrum pro malo reddere malum sit licitum. Videtur quod sic quia hoc concedit et iubet lex diuina Exo. 21. &c.* Praeter *PP.* per cursum citantur *Thomas Aq. et Alexander de Halls.*

XII.

3353

S Y N O D I C I.

3354

XII. fol. 99. *Incipit tractatus de discretione spirituum ad vires supernaturales. Magistri bairnici de bassa.* Initium: *Sicut in pbisica motus et Operationes &c.* Jam pluries relatus. Vide, quae ad Cod. DCXC. notavimus. Ad calcem legitur: *Explicit — anno domini 1437. in ciuitate Basilien. scriptus sacro generali ibidem tunc existente concilio.*

XIII. fol. 109. absque titulo *Tractatus asceticus, qui incipit: Beatus vir cuius est auxilium abs te ascensiones in corde disposuit — Novi homo quod ascensionum sis cupidus &c.* Et finit: *ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant.* Est Viri pii Gerardi de Zutphania mortui Coloniae 1398. cuius vitam *Thomas Kempensis* dedit, impressus jam 1493. 8. iterum *Colon.* 1539. indeque una cum altero *Ejusdem Tractatu de Reformatione Virium Animae in PP. Bibliothecas* traductus, ubi edit. *Lugd. T. XXVI. p. 258.* titulo *Spiritualium Ascensionum* legitur, addita lacinia quadam *De quatuor, in quibus incipientes Deo seruire debent esse cauti, si proficere volunt,* quae, si quid video, nihil ad *Gerardum.*

XIV. fol. 153. *Venerabilis beda super luca et Sermo sancti Bernardi* Fragmenta duo in *Canticum Magnificat.*

XV. fol. 157. *Tractatus magistri Jobannis de turre cremata de aqua benedicta quem fecit in concilio Basilien.* Capitibus VII. distinctus incipit: *Iniunxit michi nuper Reuerendissima paternitas Vestra Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

colendissima (Julian. Caesarinus Card. S. Angeli Legatus) problema Reverendo magistro Jobanni de Ragusio primi articuli (primo articulo) Bobemorum respondentem per magistrum Petrum (Payne) Anglicum propositum notare cum diligentia &c. Et finit: *sub lima correctionis cum omni reuerentia presento.* Opusculum jam *Sec. XV. f. l. et a. 4.* et deinceps pluries editum. Vide *Scriptt. O. P. T. I. p. 139.*

XVI. fol. 169. *Incipit Tractatus de corpore et sanguine christi* additur *Basilij.* Praeunt *Summaria Capp. XXII.* Prologus incipit: *Dilecto filio et vice christi presidenti magistro monastice Discipline &c.* Sub finem Prologi inter *Doctores,* quibus se usum profitetur hic *Pseudobasilus,* comparent *Isidorus, Ischius, Beda;* itaque pro *Basilio* rescribamus *Pascasium Radbertum Abb. Corbejensem O. S. B. Sec. IX.* autorem, inter cuius *Opera a Jac. Sirmondo Parisiis 1618. f.* edita *Librum nostrum habes col. 1551.* et novis curis in *Martenii T. IX. Monum. p. 373.* In *Codice* paullo ante *C. XXII.* et *ultimum* deficit. Eum et sub nomine *Rabani* in *lucem* produsse olim monent *Bibliographi.*

XVII. fol. 250. *Incipit Soliloquium Hugonis (a S. Victore) in modum dyalogi ad animam suam eandem instruens multifarie et pulchre quatenus ex multis causis quas demonstrat super omnia diligit deum.* Initium: *Loquar secreto Anime mee &c.* Finis: *hoc totis pre-*

H h h

pre-

precordijs concupisco. Explicit Soliloquium Hugonis De Arra anime. Deo gratias. Deest nobis Prologus ad Concanonicos in Hamersleben, quocum extat Opusculum inter Hugonis Opera Rothomagi 1648. T. II. p. 223. f.

XVIII. fol. 218. *Clastrum Anime.* Prima fronte videri possit ad eundem Hugonem a S. Victore vel Hugonem de Folieto referendus hic Tractatus, cum inter Prioris Opera T. II. p. 42. quatuor Libri eodem titulo gaudeant. Sed diversum esse ab iis omnino, docet collatio. Quaerendus igitur alius, qui de *Animae Claustro* scripserit. Trithemius in *Scriptt. Eccl. Guilelmum Parisinum* Ep. natione *Arvernum* offert, qui 1249. excessit. Sed hunc *Coenobitam* aliquando fuisse, nemo docet, qualis certo certius fuit Scriptor noster. *Balaeus, Pitseus*, et ex his alii *Librum de Claustro Animae Guilelmo de Sengbam* circa 1260. tribuunt; eum tamen *Fratrem Augustinianum* faciunt, neque locum ullum adsignant, ubi ejus opus inspici possit, quod igitur in perditis ducendum. Nostri initium est: *Abbas huius claustrum est iugis meditatio diuine presencie &c.* Ita Prior est *Obediencia*, Subprior *Discrecio*, Procurator *Paupertas Spiritus*, Portarius *timor Domini* &c. Ad hunc modum percurruntur singulis *Capitibus* singula Personarum in Claustro officia, quin et loca, puta *Scola, Armarium, Cella, Chorus* &c. ea adcuracione, ut ne quidem *Meatus sordes claustrum educentes* absque morali-

zatione discedant. Caput ult. agit de *Custodibus Claustri*, et subscriptum est: *Explicit claustrum anime liber bonus. Deo gratias.* Ad *Familiam Benedictinam*, aut *Cisterciensem* pertinere contendo.

XIX. fol. 257. *Tractatus de probacione Spirituum Magistri Jo. Gerson Cancellarij parisiensis quondam dignissimi.* Incipit: *Probate spiritus si ex deo sunt jubet &c.* ut *Cod. XC.* et in *Edit. Opp. dicta Dupinii. T. I. col. 37.*

XX. fol. 265. *Tractatus De sollicitudine ecclesiasticorum Magistri Johannis Gerson Cancellarij Beate Marie parisen. Ad fratres Celestinos continens particulas. 68.* Initium: *Queritur responsio super dubijs sequentibus unde crebro sollicitudines conscientiarum &c.* Finis: *Intelligencias vestras In christo Ihesu Domino nostro Amen.* Extat *Opp. T. II. col. 597.*

XXI. fol. 279. p. 2. *Secuntur conclusiones de diuersis materijs moralibus utiles valde posite per Magistrum Johannem Gerson doctorem Eximium in Theologia ac Cancellarium parisen.* Prologus incipit: *Agamus nunc interim quod natura et imitatrix nature ars solent &c.* Opusculum jam *Sec. XV.* ut multa alia *Gersonis, f. l. et a.* editum, in *Opp. edit. T. III. col. 77.* titulo *Regularum Moralium* comparet. Nobis subscriptum est: *Explicit et finitum scriptumque fuit hoc opusculum solempne et magistrale Basilee Sacrosancta Synodo vniuersali ibidem Sedente et in anno duracionis et continuacionis sue legitime undecimo, de mense Octobris.*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 5086

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

3357

SYNODICI.

3358

bris Anno a natiuitate domini 1441. S. F. manu propria.

DCCCCLXXV.

⁶²² Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 18. 4. continet: *Primo* Articulos VIII. de Concilio generali celebrando a *Clemente VII.* Pont. et *Carolo V.* Imp. per *Hug. Rangonum Ep. Regiens.* Nuncium Apost. et *Lambert. Priardaeum* Oratorem Caes. ad *Job. Fridericum* Septemvirum Ducem *Sax.* missos. *Secundo Job. Fridericum* Responsum datum *Vinnariae Feria IV. post Pentec. 1533.*

Tertio Responsum Eiusdem et aliorum foederatorum Principum, Nobilium et Civitatum datum *Smalcaldiae ult. Junii 1533.* Acta haec Germanica itidem legas in *Opp. Lutheri* edit. *Altenb. T. VI. fol. 123.* sed praeter Responsum ultimum ex alia Versione paullo concinniore. *Articuli et primum* Responsum latine recitantur in *Seckendorf. Lutheranismi Historia T. II. L. III. Sect. 7. S. 17. p. 43.* unde, quemadmodum e *Sleidano, Cochlaeo et Pallavicino* ad h. a. 1533. totius negotii seriem cognoscas.

